

12
VIRO
PRAENOBILISSIMO AMPLISSIMO
ATQVE
CONSULTISSIMO DOMINO
DOMINO
JOANNI HEINRICO
MOELLERO

PUBLICIS SVFFRAGIIS

AD
CONSVLIS

AC
ASSESSORIS JVDICIORVM

DIGNITATEM
CIVITATIS ELBINGENSIS

EVECTO
DEBITE GRATVLATVR

SIMVLQVE

AD
L. I. §. 5. DE EXTRAORD. COGNIT.

DE
INGRESSV SACRAMENTI

QVAEDAM
CONJECTAVIT

JOANNES GODOFR. HENNING

CAVSS. PATR.

ELBINGAE

EX OFFICINA NOHRMANNIANA

1768.

VIR
PRAENOBILISSIMO AMPLISSIMO
CONSULTISSIMO DOMINO
DOMINO
JOANNI HEINRICO
MOELLER

PUBLICIS SVBRAGIIS
CONSUL
ASSessoris JVDICIORVM
DIGNITATEM
CIVITATIS EBRINGENSIS

ELECTO
DEBITE GRATVLTATV
SINVLQVE
L. S. DE EX. COGNIT
INGRESSV
QVADAM
CONJECTAVIT
JOANNES GODEFR. HENNING

Pol. 8. II. 1379 / Estw, -





Nomina etsi significandorum hominum, 1) ac rerum distinguendarum causa sint reperta: plura tamen dum fatente Ulpiano, sint negotia quam vocabula, 2) non est mirandum, non nulla dare verba, uno plures admittentia significatus. 3) Animus mihi non est, horum verborum hic texere catalogum, sed id tantum monere placet: *Sacramenti* vocem ad istud verborum genus spectare.

Tertullianum 4) provoco alia inter scribentem: *Mithrae leones, aridae & ardentis naturae Sacramenta philosophari.* Florum 5) nomino, *cladem imperatoris auxisse Sacramentum*, affirmantem. Suetonium 6) laudo testem, *judaicae olim imperante Tyberio, in provincias gravioris coeli, per speciem sacramenti, distributae juventutis.*

Ex his ni fallor patet, *Sacramenti* vocem, uti rem quandam occultam, ita & militiam designare, in quem quoque significatum ipsae vel leges non consentiunt modo: sed & aliam

* 2

super-

1) §. 29. Inst. de Legatis.

2) L. 4. D. de praescript. verb.

3) Bronchorst ad L. 67. D. de Reg. Jur.

4) advers. Marcion. L. 1. c. 13. apud Cellar. in comp. ant. rom. L. 1. Sect. 1. c. 1. §. 7.

5) Rer. rom. L. 4. c. 2.

6) in vita Tyberii c. 36.

§ § §

superaddunt significationem, dum ista scilicet vox pro jurejurando, non nunquam in illis legitur. Præter illud enim Codicis rubrum, quod *de his, qui non impletis stipendiis, sacramento soluti sunt*, inscribitur, statuit Macer JCrus; *alios propter Sacramentum accusare non posse*; 1) & miles, inquit Papi-
 nianus, 2) *qui cum adultero uxoris suæ pactus est, solvi Sacra-
 mento deportarique debet.* Pro jurejurando vero ista vox non
 in legibus romanis solum: 3) sed & in Germanorum constitu-
 tionibus occurrit. 4) Plura ad vocis hujus multifariam signi-
 ficationem spectantia, a Brissonio, 5) Pitisco, 6) & Dempste-
 ro 7) extant collecta.

Mirum hinc non est, & Scipionem Gentilem & Ed-
 mundum Merillium, in eo inter se consentire: per verba sci-
 licet, *in ingressu Sacramenti*, quæ in L. 1. §. 5. D. *de
 extraord. cognit.* occurrunt, jusjurandum significari; etsi ratione
 partim personarum, a quibus illud præstitum forsan fuerit; par-
 tim vero ratione finis, ob quem fuerit jurandum, in diversas
 abeant partes.

Gentilis

- 1) L. 8. D. de accusationibus.
- 2) L. 11. D. ad Leg. Jul. de adult. coere.
- 3) Avth. Sacramenta puberum. C. Si advers. venditionem. Avth. Hoc Sacra-
 mentum. C. de jurejur. propt. calumn. L. 14. C. de Judiciis.
- 4) Jus Prov. Sax. L. 2. a. 11. Hauenstein in Repert. Jur. Pruth. voc.
 Juramentum. Leg. Longob. L. 2. T. 51. §. 6. apud Heinec. in El.
 Jur. Germ. T. II. L. 3. §. 191*.
- 5) de Verbor. Significat. voc. Sacramentum.
- 6) in Lexico Antiq. Rom. ac Græc. sub voce ead.
- 7) in Paral. ad Rosini antiq. Rom. L. 10. c. 3.

❧ ❧❧❧ ❧

Gentilis enim putat: ipsos Juris civilis Professores, munus docendi obeundo, juramento se obstrinxisse; Merillius contra autumat: juramentum hocce a discipulis & auditoribus fuisse præstitum, & in specie ut credit ad silendum; dum Heineccius 1) illud potius ad didactum trahendum esse opinatur.

Dum vero anonymus quidam 2) statuerit: nec Gentilis nec Merillii sententiam posse admitti; ipseque adhæc propriam hac de re haud aperuerit mentem, sed crediderit tantum, plane esse incertum quid verba jam memorata dictæ legis sibi velint: liceat hinc mihi, *quid iste ingressus sit Sacramenti*, conjecturare.

Hunc ut brevibus, quod sentio dicam, idem denotare hic puto; quod *initium juris scientiæ*. Sic ut sentirem præprimis ipsa non §phi quinti solum, sed & totius legis me movit connexio. Cuicunque enim attentius paulo istam perlegenti, luculenter abundeque patebit: uti in tota hac lege *de honorariis*, sic & in specie in §pho quinto, *de juris civilis professorum honore*, esse sermonem. Eo vero ipso, quod dicitur: *eum honorem in ingressu Sacramenti, juris civilis professoribus offerri debere*, simul ni fallor patet: *istud Sacramentum*, illam denotare scientiam quam juris civilis professores profitebantur: *uti ingressus istius Sacramenti*, ejusdem scientiæ initium.

* 3

Legis

1) de Aquilio Gallo. In Opuscul. var. syll. p. 769. in not. lit. F.

2) In tractatione: Von der alten Rechtsgelehrten mündlichen Unterricht. §. 23. vid. Hallsche Beyträge zur jurist. gel. Historie, 3ter Band, p. 234.

❧ ❧❧❧ ❧

Legis totius itaque connexioni, ut hæc conjectura minime repugnat: sic optime aliis Romanorum moribus convenire puto. Plinius enim ¹⁾ ille secundus, alia inter memoriæ reliquit: *Bythinæ moris fuisse, pro introitu bulesterii donaria offerre; & neminem fugit, in ingressu seu initio disciplinæ, a discipulis idem fuisse observatum.* ²⁾

Istam hanc opinionem, ipsis etiam Sphi verbis convenire jam conabor probare. *Sacramenti* vox, ut ad unum fere omnes Lexicographi docent, Latinis alia inter idem designat quod Græcis: *mysterium*. Haud equidem Jensio ³⁾ assentirem statuenti: plurimos Jctorum Romanorum, qui post tempora Antoninorum Imperatorum vixerunt, libros suos græce scripsisse, & postea illorum scripta in Digestis, in latinam linguam esse translata: mysterii tamen significationem jurisprudentiæ, ex mente Romanorum antiquiorum attribui posse, haud omni caret ratione.

Jus enim a justitia esse appellatum, notum est. ⁴⁾ Justitiam vero apud Romanos pro Dea fuisse cultam, templum Romæ fati antiquum, huic Deæ dicatum, comprobatur luculenter, ⁵⁾ idque aperte Ulpiani innuunt verba: *justitiam colimus, agentis.*

¹⁾ L. 10. Epist. 113.

²⁾ Vossius de vitiiis serm. L. 1. c. 33. p. 148.

³⁾ in stricturis Juris Rom. cf. juristischer Büchersaal, 12tes Stück, p. 309. & Ev. Otto in Papiniano. c. 4. §. 2. 3.

⁴⁾ L. 1. pr. D. de Just. & Jur.

⁵⁾ Hommel in Jurisprud. numismat. illustrat. L. 1. p. 1. seq.

ajentis. 1) His si addam Sphi superius allegati verba, ubi
scientia hæc res sanctissima vocatur, 2) ac in mentem revocam
 illud Ulpiani: *jurisprudentiam & rerum divinarum notitiam esse*, 3)
 ipsumque *sacerdotem* merito appellari posse; 4) si tandem legam:
 juris studium, Romanis fuisse *sacrum*, & ipsos eorum pontifi-
 ces illud *tanquam rem sacram excoluisse*: 5) non est mirandum,
 ob has juris scientiæ qualitates, illam ex Romanorum sententia,
mysterium denominasse, illudque per *Sacramenti* vocem designari.

Ipsam vel Ulpianum, qui scilicet ut legis dictæ inscri-
 ptio docet, ejusdem auctor est, ad hunc significatum his verbis
 respexisse, ex iis quæ jam addo, haud improbabile mihi videtur.

Ulpianus nimirum, qui Philosophiæ Stoicæ fuit addi-
 ctus, 6) ut alii ejusdem Scholæ, anxiam quam maxime curam
 habuit verborum, quo planius rerum natura cognosceretur &
 proprietas. 7) Satis id ipse comprobavit. Dum enim loqui-
 tur de juramentis, *jurisjurandi*; 8) si vero de re militari ei
 sermo est, *sacramenti* voce utitur. 9) Dum itaque satis aperte

* 4

eo

- 1) L. 1. §. 1. D. de Just. & Jur.
- 2) L. 1. §. 5. D. de extr. cogn.
- 3) L. 10. §. 2. D. de Just. & Jur. cf. Heineccius de Jurisprud. div. & hu-
 man. notitia, quæ diss. præfationis loco extat in Fascicul. Script. naut.
- 4) L. 1. §. 1. D. de Just. & Jur. cf. Willenberg de Sacerdotio JCtorum,
 in Exerc. Sab. P. I. Ex. I.
- 5) Arth. Duck de auth. jur. Civ. L. 1. c. 3. §. 3.
- 6) Steeger in vita Ulpiani, Sect. I. §. 2.
- 7) Everh. Otto in vita Papiniani, C. 9. §. 2. & Steeger l. c. §. 3.
- 8) L. 5. 7. 9. 11. 13. 16. 18. 19. 23. 25. 28. 33. D. de jurejurando.
- 9) L. 2. D. de Veteranis.

eo ipso, hæc verba a se invicem distinxerit, minimeque ista unum idemque significare ipse demonstraverit: credibile est ipsum Ulpianum & in hac lege Sacramenti voce talem designare voluisse significatum, qualem res ipsa, de qua loquitur, admittit.

Nec alias quidem res plane est inaudita, vel ex accidentali tantummodo qualitate rei cujusdam, eandem denominare. *Iste sic locus, statuente Paulo JCto, 1) recte Jus appellatur, ubicunque Prætor salva majestate imperii sui, salvoque more majorum, jus dicere constituit. Codex Justinianeus exhibet Secretum, 2) & Secretarium Judicis, 3) quæ ea sunt loca, ubi testes audiuntur & de causis cognoscitur; ac ubi in templo res sacræ deponuntur, exinde pars ejus nominatur Sacrarium. 4)*

Justinianum Imperatorem adhæc jurisscientiam pro mysterio quasi coluisse, ipsissima ejus innuunt verba, quæ allegare hic liceat. *Prospeximus 5) inquit, quod ad portandam tantæ sapientiæ*

1) L. 11. D. de Just. & Jure.

2) L. 14. C. de Testibus, cf. Wildvogel Progr. de Secreto Judicis.

3) L. ult. C. ubi Sen. vel clariss. cf. de Secretario, Vossius de vitis ferm. L. 3. c. 48. de Secretario in Ecclesiis, Heineccius in antiq. rom. L. 4. Tit. 17. §. 10. de Secretario vero Senatus, Pitiscus in Lex. antiq. sub hac voce.

4) L. 9. §. 2. D. de rer. divis. collat. L. 11. §. 1. D. Peculatus, plura habent Popma de differ. verb. voce Sacrarium, & Böhmer in diss. de variis sacrilegii speciebus ex mente Juris Civilis.

5) Constit. Tanta. §. 11 de confirmat. Digest. ad Senatum.

sapientiae molem non sunt idonei homines rudes, & qui in primis legum vestibulis stantes intrare ad arcana eorum properant.

Gentiles enim ut notum est, ad sacra mysteria neminem admittebant, nisi initiatos, & profani a sacris istis arcebantur. Luculenter hoc comprobatur Seneca, 1) *verum natura inquit, sacra sua non simul tradit. Initiatos nos credimus, in vestibulo ejus haeremus. Illa arcana non promiscue nec omnibus patent: reducta & in interiore Sacrario clausa sunt. Et alibi, Sanctiora Sacrorum initiatos tantum scire, affirmat.* 2)

Dum itaque ii, qui ad sacra ista sanctiora admitti volebant, prius ad hæc fuerint initiati: 3) quid ergo mirandum, & eos qui juris sacra adire voluerunt ad morem aliorum itidem prius initiari quasi olim consuevisse. Hujus rei, optimum ni fallor exhibet documentum, Edictum illud Justiniani, specialiter prohibentis: *ne ex iis qui legitima studia peragunt, neque Constantinopoli neque Beryti, in professores, vel socios suos & maxime in eos, qui rudes ad recitationem legum perveniunt, ludos injuriosos exercerent, nec alia perpetrarent crimina.* 4)


Hæc

1) Nat. Quæst. L. 7. c. 31.

2) Epist. 95.

3) Bachius pro mysteriis Eleusiniis. §. 19.

4) Constit. omnem Reipublicæ. §. 9. Proemio Digest. cf. Strauch de metropoli Beryto. c. 5. §. 1—9.






Hæc omnia, quæ hætenus pro confirmanda conjectio-
ne adducta sunt, magis video, *ingressus* vocabulo firmata,
quod scilicet alia inter, *initium* rei alicujus designat. Ne
enim dicam de his, qui *ingrediuntur* ad appellationem, 1) nec
illius sanctionis mentionem faciam, qua *ut omnia damna, quæ*
adversariis, etiam circa ingressus litis, inflata fuerint, re-
stituerentur, constituitur: 2) ipse vel Ulpianus, *de pactis* loqui-
tur, *in ingressu contractuum adjectis*; 3) idemque *Quæ-*
sturam dicit *ingressum primordiumque quasi gerendorum hono-*
rum. 4)

Ipsam tandem & *honoris* vocem cum hac conjectura
amicissime conspirare sentio. Etsi equidem ista vox etiam in
Digestis, ut notum est, pro munere cum dignitate occurrat:
ipse tamen Ulpianus, iterum se optime interpretatur ipsum.
Is enim, id, quod in lege hacce *honor* dicitur, alibi nominat:
honorarium; 5) ac simul expressis docet verbis; *exinde sic de-*
nominari, quia datur ad remunerandum. 6) Quid vero quæso
hic loci superesset ad remunerandum, nisi scientia illa, quam
juris civilis professores profitebantur? Utrum hinc Spho sæ-
pius dicto, conveniat hæc conjectura, an minus? aliorum
submitto iudicio.

Longa

- 1) Rubrum Nov. 49.
- 2) L. 15. C. de Judiciis.
- 3) L. 7. §. 5. D. de Pactis.
- 4) L. un. D. de officio Quæstoris.
- 5) L. 6. pr. D. Mandat. vel contr.
- 6) L. 1. pr. D. Si mens. fals. mod. dix.



Longa annorum jam serie TV VIR PRAE-
NOBILISSIME, AMPLISSIME CONSVL-
TISSIMEQVE, optimam hujus Scientiæ partem ex-
coluisti, quæ circa res agendas nimirum, publicas æque ac
privatas versatur potissimum, veræ non simulatæ illius Philo-
sophiæ TE præstitisti *Antistitem*. Civilis Sapientiæ, sanctis-
simæ illius rei, TV ingressus es *Penetralia*; *Adyta* TIBI
sunt reperta ad sanctiora illa *arcana*, quæ reipublicæ guber-
nacula ita suadent regenda, ut istius, quæ lex dicitur su-
prema, conservetur salus. Patet TIBI Civitatis nostræ
Iustitiæ templum, & *Senatus* & *Judiciorum* TV jam occupas
Secretarium. Non de tigno juncto, non de stillicidii re-
cipiendi jure solum, coram *Tribunalibus*, quibus TV jam
adsedis, disceptatur: sed & bona & fama & vita hominis
& *illis* & TIBI sunt concredita; relictum TIBI sentis,
tam præmiorum exhortatione ac poenarum metu efficere bo-
nos: quam per legitimos tramites, calumniantium expellere
iniquitates. Gratulor hinc TIBI VIR PRAENO-
BILISSIME, AMPLISSIME CONSVL-
TISSI-

TISSIMEQVE, de tanta hac CONSVLIS
DIGNITATE TVA, deque TVA in JVDICIIS
NOSTRIS AVCTORITATE gravissima. DEVS
bene TVIS coeptis, semper dicat bene! Conseruet TE
Summum Numen, animæque TVAE corporisque aleat vires;
jubeatque non hisce solum *Honoribus*: sed & *Civitatis nostræ*
rebus, & *Curis* & *Consiliis* TVIS quam diutissime TE
interesse, *justitiamque* illam, cujus fruendæ causa homines
constituere civitates, exercere. Recipiat TE DEVS TV-
AMQVE SPLENDIDISSIMAM GENTEM,
in supremam suam tutelam, quamque longissime avertat quæ-
cunque felicitati adversantur sempiternæ.

Elbingae MDCCLXVIII. D. XI. Calendarum Aprilis.



Pol. 8. II. 1379

